

Bagginton.

Stoneley. Regium Mon. de Stoneley.

Warwicke.

Præsidium.

Milites externi in provinciis. Florus lib. 4. cap. ult.

perhibetur: urinam certe copiose ciet, vulnera statim consolidat & sanat, cumque sale hausta laxat, cum saccharo astringit. Tunc *Bagginton*, quod suum castrum habuit, & ad *Bagottos* nobilem in primis familiam quondam spectavit. A quo parvo abest intervallo *Stoneley*, ubi monasteriolum fundavit Rex Henricus Secundus; & ex opposito castellum olim fuit ad *Avonam*, *Stoneley-holme* dictum, in *Holme-hull* constructum, quod dirutum, dum Danica bellorum flamma Angliam sub Canuto involveret.

Præcipuum deinde totius Comitatus oppidum allabitur *Avona*, quod nos *Warwicke* vocamus, Saxones *Wappýng-wýc*, Ninnius & Britanni *Caer Guarvic*, & *Caer Leon*. Quæ omnia nomina, quum à *Guarth* Britannica dictione, quæ præsidium significat, vel à Legionibus, quæ locorum defensionem imponebantur, profluxisse videantur; quodammodo persuaserunt (quamvis ego potius Scepticus, quam Criticus in Etyrnologiis esse malim) hoc illud oppidum esse quod PRÆSIDIVM Romanis in Britannia dicebatur, ubi, ut est in Provinciarum Notitia, Præfectus Equitum Dalmatarum sub dispositione Ducis Britanniarum egit. Hæc cohors ex Dalmatia scripta fuit, & ut obiter notem, ea erat provida Romanorum prudentia, ut in provinciis externos milites per præfidia disponerent, quibus, cum indigenis ob morum & linguæ diversitatem nulla potuit esse conspiratio. Nam (ut scribit ille) *Gentes servitutis frænis non assuetæ facile alias ab imposito jugo resiliunt*. Hinc militarunt in Britannia ex Africa Mauri, ex Hispania Astures & Vettones, è Germania Batavi, Nervii, Tungri, Turnacenses, è Gallia Lingones, Morini, & aliunde Dalmatæ, Thraces, Alani, &c. ut suis locis dicemus. Sed ad rem. Ne quis existimet Britannos *Guarth* illud à Francis hausisse, cum origine Hebraica sit (si Lazio credatur) & in ea plurimæ nationes consenserint. Sed hoc Præsidium fuisse, & annalium nostrorum auctoritas docet, qui Romanas legiones hic confedisse memorant, & ipse etiam situs in provinciæ pene umbilico innuit; æquali enim spatio hinc ab Orientali *Norfolcia*, illinc ab Occidentali *Cambriæ* littore disjungitur, cujusmodi situm PRÆSIDIVM Corsicæ oppidum in ipsa media insula positum obtinuit. Nec mirum, si præsidium, & militum stationem hic Romani habuerint, cum *Avona* flumini rupe satis prærupta imminet, & omnes aditus ex ipso saxo sint effossi. Mœnibus & fossis munitum fuisse apparet, castrum vero & natura & opere firmissimum Warwicensium Comitum olim sedem ad Africum prætendit; oppidumque ipsum ædificiis speciosis est exornatum, plurimumque debet *Ethelfledæ* Merciorum Dominæ, quæ labefactatum anno Christi DCCCXI restauravit. Sub Normannorum etiam ingressum statu erat satis florenti, pluresque (ut vocant) *Burgenses* habuit, è quibus duodecim Angliæ Reges in bellum comitari (sic in Regis Guilielmi Primi libro scribitur) tenebantur. *Qui monitus non ibat, centum solidis Regi emendabat, si vero per mare ibat Rex contra hostes, vel quatuor Botelvenas, vel quatuor libras denariorum mittebant. In hoc Burgo Rex habet in dominio suo CXIII Burgenses, & Barones Regis habent CXII. Rogerus secundus è Normannico sanguine Britannia.*

ne Warwici Comes pulcherrimum Beatæ Mariæ templum in ipso oppidi sinu postea construxit, quod *Beauchampi* five *de Bello-campo*, qui successerunt, suis sepulchris condecorarunt, præcipue vero *Bellocamporum* ultimus Comes Warwicensis Richardus, & Normanniæ Præfectus, qui Rothomagi CIO CCCC XXXIX fatis concessit, & magnifico funere elatus in hoc conditur.

Iuxta *Warwicum* ad Aquilonem *Blacklow* collis cernitur, in quo Petrus de *Gaveston*, quem Rex Edwardus Secundus ex humili loco in Cornubiæ Comitum evexerat, à regni proceribus capite obruncatus fuit. Principis enim gratia, & fortunæ indulgentia, tantam sibi licentiam usurpavit, ut cum Regis animum corrupisset, optimum quemque contemneret, & in omnium fortunas insolenter involaret, & homo vafer & veterator Principis & procerum animos dissociaret.

Sub hoc ad *Avonam* fl. *Guy-cliffe* alii *Gib-cliffe* sedet, nunc Thomæ de *Bello-fago*, five *Beau-foe* ex veteri Normannica prosapia habitatio; & quæ ipsa sedes est amœnitatis. Nemusculum ibi est opacum, fontes limpidi, & gemmei, antra muscosa, prata semper verna, rivi levis & susurrans per saxa discursus, nec non solitudo, & quies Musis amicissima. Hic Guidonem Warwicensem decantatum illum heroem post multos exantlatos labores sacellum construxisse, heremiticam vitam duxisse, & tandem sepultum fuisse ferunt. Prudentiores tamen locum illum à Guidone de *Bello-campo* memoria multo recentiori nomen adsumpsisse existimant, & certum est, Richardum de *Bello-campo* Warwicensem Comitem sacellum S. Margarietæ hic instaurasse, statuatque Giganteam Guidonis illius erexisse.

Plenior hinc *Avona* defertur per *Charlcott* nobilis & equestris familiæ *Luciorum* habitationem, quæ à *Charlcottis* jam olim ad illos hæreditario quasi transmigravit, qui ad pauperes & peregrinos uscipiendos domum religiosam pio instituto ad *Thellisford* posuerunt, *Thelley* enim fluviolus dictus erat, qui per *Compton Murdac* olim *Murdacorum*, nunc equestris familiæ *Vernajorum*, & hanc *Thellisford* *Avonam* petit, qui *Stratford* mox allabitur emporiolum non inelegans, quod duobus suis alumnis omnem dignitatem debet, Ioanni de *Stratford* Archiepiscopo Cantuariensi, qui templum posuit, & Hugoni *Clopton* Prætori Londinensi, qui *Avonæ* pontem saxeam quatuordecim fornicibus subnixum, non sine maximis impensis induxit. Hic frater natu minor erat ex antiqua familia quæ à *Clopton* Manerio adjacenti hoc cognomen mutuata, ex quo Walterus de *Coksfield* dictus *Marscallus Miles*, ad *Clopton* sibi & suis certam sedem defixerat. Horum hæreditas nostro tempore ad duas sorores cohæredes descendit, quarum altera enupta Georgio *Carew* Equiti clarissimo Serenissimæ Regiæ Annæ Procameraio, quem titulo Baronis *Carew* de *Clopton* Rex Iacobus ornavit, & ego vel hoc nomine memoro, quod venerandæ antiquitatis sit summus admirator. Nec aliud ad suas ripas præter *Bitford*, Mercatum, & rusticanos viculos videt *Avona* jamjam Wigornienfes aditurus.

Sylvestrem regionem nunc perlustramus, quæ trans *Avonam* fl. ad Septentriones expanditur spatio

*Blacklow* hill alii *Gaveston*.

*Guy-cliffe*.

I. Rossus Warwicensis.

*Guy of Warwicke*.

*Charlcott*.

*Stratford upon Avon*.

*Baro Carew de Clopton*.